



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Admodvm Reverendo In Christo Patri Ac Domino Christiano Druve, S.
Nicolai Apvd Fvrnenses Praesvli Electo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

ADMODVM
REVERENDO IN CHRISTO
PATRI AC DOMINO
CHRISTIANO DRVVE,
S. NICOLAI APVD FVRNENSES
PRÆSVLI ELECTO.

NON fuit magnopere ambigendum
*R^{de}. admodū Domine, cui potissimum
inscribendi forent Natales SS. Belgij
Authore IOANNE MOLANO
Doctore Theologo; recogniti, aucti, & illustrati o-
pera quorundam Doctorum Duacensium. Siqui-
dem R. P. T. eos deberi visum est multis & ma-
gnis de causis: inter quarum præcipuas non infima,
quod non ignorem quam singulari & pene incredi-
bili benevolentia, prosecuta sit Reuerentia tua dile-
ctissimum piæ mem. coniugem meum, PETRVM
BORREMANS, Typographum Duacensem.
Cui proinde si vita paulo longior obtigisset, non me-
diocri gaudio & exultationi futura erat vestra ab
Abbatialem dignitatem promotio. Nec dubium
quin cum Religiosis vestris, sui quoque studiosissi-
mis, desiderato Præsuli; cum populo Neoportuensi
Pastori suo meritissimo; cumque ciuibus & inco-*

††

lis

EPISTOLA DEDICATORIA.

lis opidi ac territorij Furnensis vniuersis cōgratulā-
 tibus, salutaria & prospera acclamantibus, ipse
 quoque non vacuus gratulator accessisset: sed hoc o-
 pus primo, ac deinde maiora nomini atque honori
 vestro consecrasset. Verum quia morte prauento
 non licuit, meque ad tam pia mariti mei vota adim-
 plenda obligatam censeo, ideo hunc, ut quondam
 authoris, ita nunc typographi posthumum fœtum,
 R. P. T. in congratulationis & venerationis
 Symbolum offero. Quem quidem gratum fore au-
 deo confidere, tum propter opus ipsum authore suo
 non indignum, doctissimisque notis & additionibus
 auctum & recognitū, tum quod R. P. T. licet ad
 sublimiorem honoris gradū euecta, ab antiqua sua
 humanitate, modestia & charitate non recedet: tū
 denique propter ipsa sanctorum Belgij (quorum hic
 vita describitur) merita: quæ ut eorundem interces-
 sione R. P. V. prosint ad imitationem in terris,
 atque ad consortium in cælis, indefinenter Deum
 orabo.

R. P. V. Humilis cliens Vidua cum
 hæredibus PETRI BORREMAN'S
 Typographi Duac.